

semper superfugere adnitezantur, administrationem vero justitiae tam male administratam esse, ut legibus Patriae extranei Vetustate Gubernii jam oblitteratis, omnis emergentium Negotiorum cognitio, et causarum decisio, in unius alteriusve Officialis Bancalis arbitrio conquiescat, publico constaret. Hinc nullam meliorem subjiciendarum effective jurisdictioni Bani et Regni Partium illarum, introduce daeque acurioris justitiae administrationis rationem iniri posse censuit Deputatio, quam ut Domini Ablegati solerter elaborent, ut illis in Partibus, caeteroquin longe remotis, unus, ad normam aliorum Regni Croatiae Comitatuum regulatus Comitatus, cum legali et Competenti Magistratu erigatur.

9. Quodsi praemisso Postulato Sua Majestas Sacratissima ex alte sibi cognitis rationibus clementer deffere non dignaretur, supplicandum erit, ut eadem Partes Maritimae ad acuratam Comitatui Zagrabensi subjectionem supra auctoritate Regia compellantur, ut etiam ut totalem suam Contributionis obtinentiam ad Cassam Regni effective inferant.

12. Ne Civitas Segnia, Tersactum, et Portus Buccarensis aliaque jurisdictioni Regni subjecta loca, illo Sacrae Regni Hungariae Coronae jurisdictioni perquam praejudicioso littoralis Austriae nomine imposterum veniant, articulariter provideri laborabunt Domini Ablegati.

13. Ita etiam adurgebunt, ut Libera Regiaque Civitas Segniensis, alioquin ut peculium Regium inabalienabilis, restabilitis, per divos olim Hungariae Reges eidem concessis, sed jam per Dicasterium Commerciale speciosis sub praetextibus infractis Privilegiis, Regni et Sacrae Regni Hungariae Coronae jurisdictioni plene restituatur.

23. Si ullo unquam, hoc certe gloriosi modernae Suae Excellentiae Banalis Gubernii tempore, non sane minori Nominis Croatici Gloria ac sensibili animorum suorum consolatione abunde edocti sunt universi Domini SS. et OO., ad primam eamque supremam Regnorum horum felicitatem pertinere, ut per eum ac talem Banum semper Gubernentur, qui stabilem in Regno figendo Residentiam continua praesentia sua et Summum Principis Servitium promovere, et bonum publicum procurare valeat. Ideo supplicabunt Domini Ablegati, ut Sua Majestas Sacratissima fidelia haec Regna futuris itidem semper temporibus per talem, qui in Regno resideat Banum, gubernari facere clementissime dignetur.

#### Articulus Decimus.

##### Infrasertae Armales publicantur.

Benignae duplicitis ordinis Suae Majestatis Sacratissimae Literae Patentales, primae de dato 21. Junij Anni proxime praeteriti Egregii Mathiae Szecsen, in Regimine Suae Majestatis Sacratissimae Carlostadensi jubilato Capitaneo, nec non suo ex Fratre Nepoti, Alexandro quippe Szecsen; aliae porro de dato 2. Mensis Maji Anni ejusdem 1753 Egregio item Andree Karajczay, post elicitem per eundem Catholicae Religionis professionem, nec non ejusdem eorundemque Mathiae et Alexandri Szecsen haeredibus et Posteritatibus utriusque Sexus legitimae descensionis universis eorundem verorum et indubitatorum Regni Hun-